

DISQUISITIONES NONNULLAE

CIRCA

# HYPPOCHONDRIAM

QUAS

PRO DOCTORIS MEDICINÆ GRADU  
LEGITIME CONSEQUENDO

ANNUENTIBUS : MAGNIFICO PRAESIDE ET DIRECTORE,  
SPECTABILI DOMINO DECANO ET CLARISSIMIS D. D. PRO-  
FESSORIBUS IN REGIA SC. UNIVERSITATE HUNGARICA  
PESTHIENSI CONSCRIPSIT

MICHAËL FUKER  
ONEZDA SCEPUSIENSIS ARTIS OBSTETRICIAE MAGISTER.



ANNO MDCCCLXXXIII.



PESTHINI,

TYPIS LANDERERIANIS DE FÜSKÜT.

SEINEM BESTEN VETTER

**FLORIAN FUKER,**

AUS UNBEGRAENZTER DANKBARKEIT UND LIEBE

GEWIDMET



v o n  
V e r f a s s e r.

# H Y P O C H O N D R I A.

## E J U S   S Y N O N Y M A.

**M**orbus hypochondriacus, passio hypochondriaca, hypochondriasis; Hippocrates: morbus resiccativus; Aetius: passio flatuosa; Selle: malum hypochondriacum; a Recentioribus: hypercinesia hyponchondriaca, morbus eruditorum; Aliis: nevropathia, nevrosis gastro-intestinalis. Germanis dicitur: Hypochondrie, Milzkrankheit, Milzsucht, Grillenkrankheit. Gallis: Hypochondrie, maladie vaporeuse, imaginaire. Hungaros: Rászikórság, Komorkórság.

Morbum hunc ex adsectione Systematis nervosi provenire, hypochondriaunque in viris esse eundem morbum, qui in feminis hysteria dictus, consentiunt Autores, in Systemate autem ganglioso praecipue causam proximam plurimi querunt; nihilominus, qui morbus vulgo notissimus est, in essentia sua necdum cognoscitur. Symptomatum diversitas et variabilitas magna, causa proxima ignota definitioni exactae hucdum obstant. Ita J. Raimann de utroque morbo asserit: „die Form dieser Krankheiten ist so äußerst vandelbar, dasz man sie den Proteus unter den Krankheiten genannt hat, und es schwer ist eine umfassende Schilderung von ihnen zu geben.” Ut tamen quoad usque licet naturam morbi cognoscamus, quae ad diagnosim faciunt: symptomata neinde et momenta causalia praemitenda sunt.

## SYMPTOMATA HYPOCHONDRIAE.

In multitudine symptomatum hujus morbi ordine quodam opus est Juxta C. Neumann eadem optime in quatuor series distribuuntur, ad quarum primam pertinent, quae ex laesa functione tubi intestinalis proveniunt; ad alteram, quae ex functione sexuali; ad tertiam ex statu abnormi systematis gangliosi; ad quartam ex syst. Cerebralis turbis redundant.

### I. IN CANALI ALIMENTARI.

Sensus gustatus hypochondriacis raro normalis est, oris saporem ut plurimum fatuum accusant, amarum, nau-  
seosum; lingua vix non semper muco tecta; quae sympto-  
mata mane in gradu eminentiori adsunt. In Oesophago nota-  
tu est dignus sensus globi quasi ex ventriculo adscenden-  
tis, a contractione fibrarum oesophagi circularium ortus, in hysteria frequentior (globus hystericus.) Digestio semper  
laesa est in morbo notabilius evoluto, estque tarda, mo-  
lesta, in genesim acidorum prona, pyrosis, ructus, vo-  
mititiones, ipsum vomitum causans, in nonnullis indi-  
viduis ita lenta, ut 12 post pastum horis, etiam tardius  
ingesta vix aliquantum mutata regurgitentur. Saepe appe-  
titum laudat optimum aeger, is tamen est spurius, prout id  
incommoda post alimenta etiam minori quantitate ingesta  
demonstrant. In reliquo etiam tractu intestinali anomaliae  
adsunt, evolutio substantiarum aërisformium raro deside-  
ratur, aëris hic intestina imprimis extendendo molestia aeg-  
rum, borborygnos, dolores colicos inducens, in intestino  
recto accumulatus dolores provocat obtusos, metum tabis  
dorsalis aegro incutientes. Lentor per integrum canalem  
protractus, alvum quoque segnem efficit; ita adnotati sunt  
casus alvi per decursum hebdomadae imo mensis semel so-  
luta, quibus sub circumstantiis faeces induratae difficulter,

subinde tantum instrumentorum auxilio excernuntur. Ita affecto tubo cibario cetera quoque eidem vicina organa in consensum trahuntur, sensus plenitudinis, gravitatis in toto abdomine adest, infarctus viscerum abdominalium oriuntur; se- et excretiones perturbantur. Alvis, quae communiter segnis est, nonnunquam citra sufficientem causam comparet frequentior, diarrhoica; nam vel leve subinde refrigerium se- et excretionem intestinalem adauget. Etiam secus in intestinis secretio muci largior est, ita in aliis quoque membranis mucosis, sic in cavo narum, in trachea, unde frequentior coryza, catarrhus bronchialis, quae aegro scrupuloso periculum de phthisi obtrudunt. Aliae secretiones etiam a norma deflectunt, sic bilis jam aucta, jam immunita per faeces minus tinctas cognoscenda, adest. Nec cutis officio normaliter fungitur, praecipue sudores habituales in hypochondriacis ex regula praesentes saepissime transpirationem cutaneam turbatam indicant.

## II. IN SYSTEMATE SEXUALI.

Functio haec ut C. Neumann praetendit, nunquam in hoc morbo normalis est, sed morbose exaltata; ita, ut pollutiones frequentes locum habeant. Apud hystericas inseparabiles sunt turbae menstruationis. Ex hac irritabilitate organorum genitalium adaucta, frequens veneris appetentia oritur, licet interdum suminam erga sexum sequiorem indifferentiam exhibeant hypochondria affecti. Mens eorum scrupulosa ut in alias, ita et in has partes frequenter dirigitur, phantasiam mirum in modum exercens, et aegro varia de his organis mala, ut: impotentiam, blennorrhoeam syphiliticam et alia proponens.

## III. IN SYSTEMATE GANGLIOSO.

Huc referenda sunt symptomata ex turbato sensu communi emergentia, metus, item inquietudo, anomaliae cui-

culatonis, animi affectus, sensibilitas immodica. — Caenesthesia morbose exaltata est, aegro statum corporis sui minus rectum annuncians, et saepe ita perversa, ut manifeste falsas aegro suggestat sensationes. Cum taliter turbata caenesthesia phantasia, quae apud hypochondriacum semper exaltata reperitur, omnia in corpore aegri possibilia mala creat, et si revera quidam status morbosus ac affectio quarundam partium adsit, haec tamen propter jam dictamphantasiae exaltationem semper in gradu altiori aegro apparet, imo ex consuetudine jam hypochondriaca continuo ad maximum possibilitatis gradum evehitur. Ita affecto sensu communi haud difficile est concipere, quare et reliqui sensus externi adactam exhibeant receptivitatem. Hallucinationes visus frequentes sunt, ut scintillatio, fulguratio, visus imaginum lucentium et aliorum absque externa causa. De olfactu imprimis notandum eum hypochondriacis esse perversum, quo odores, hominibus sanis foetidos sibi gratos laudant. Auditus persaepe morbose exaltatus est, unde strepitum etiam levissimum aegre ferunt. Sed non tantum sensuum externorum caenesthesia, verum et totius corporis sensibilitas adacta, perversa est; aeger conqueritur jam de frigore jam calore insolito, frequentissime de aituum dedolatione, de magna debilitate musculari. Vix aliqua corporis pars superest, ubi quandoque dolorem non experiretur, aut expertus fuisse. Frequens est illi dolor capitis, praeprimis partialis, ut hemicrania, aut ad minorem capitis partem restrictus: clavus, ovum hypochondriacum.

Animi affectus deprimentes hypochondriacis sunt familiares, subinde et jucundis afficiuntur, continuo extrema patentes, ex uno in aliud transeuntes, quae affectuum variabilitas summe characteristic a est in hoc morbo. Ita nihil inconsueti hypochondriaco est: ex hilaritate in tristiam, ex mansuetudine in exstasim, ex metu in spem re-

pente transire. Ista animi inconstantia singularem aegro inquietudinem inducit, quae etiam in ejus actionibus manifestatur, licet interdum et magna constantia adsit. Huc referri possunt: metus, pusillanimitas, ex subjectione animi in quavis sensationes provenientia. — Pulsus arteriorum saepissime acceleratus tangitur absque accessu febri- li, palpitationes cordis frequentissimae, absque causa conspicua, indicio eo ipso, in interioribus aegri, puta anima: magnam periculorum circulationem contingere, aegro talia phoenomena extricantium.

#### IV. IN SYSTEMATE CEREBRALI.

Ex hoc fonte, quae emanant sypintomata numerosa iterum sunt, et ejus quidem indolis, ut attentionem aegri insolitam in suum praecipue corpus directam, et facultatem imaginandi nimis exaltatam ac perversam palam faciant. Mira est haec attentio, et occupatio mentis circa organismum proprium, quas aeger ita intendit et protrahit, ut nec res minimae quae circa ipsum fiunt eundem praeter-eant, imo, quae nulla plane attentione dignae sunt ipsum confundant, inquietudinem, anxietatem, metum incutiant. Singularem habet propensionem in solitudinem; mens continuo evagatur; Hingebung des Geistes an die Gefühle und Täuschungen (Raimann); sensibilitas moralis insolita atque praeternaturalis, animus incertus, diffidens (Selle) peculiaris proclivitas veritates etiam evictissimas in dubium vocandi. Imaginandi facultas exaltata est ut iam diximus apud hypochondriacum, quae cum scrupulosa ejus attentione copiosissimas sensorio communis subministrat repreäsentationes semet adeo celeriter excipientes, ut nec tempus nec locus rationi supersit earum realitatem ac indentitatem pervestigandi; unde mirae illae illusiones, quae de hypochondriacis narrantur, procedunt. Sic nota

est illusio de quodam hypochondriaco, qui affirmaverat se extremitatum inferiorum ossa vitrea habere, quocirca non est ausus incedere, ne confringantur. Alter borborygmis vexatus se in intestinis plurimas habere ranas praetendit. Dum ita rebus impossibilibus fidem tribuunt, multo magis, quarum aliqua adest probabilitas rerum certitudinem evictam esse credunt. Sic dum aliquem in abdomine ardoris sensum percipiunt, semet intoxicatos praetendunt; alii levem cordis palpitationem experti, polypum cordis incusant; tussiculum alii pro phthisis pulmonalis symptomate illico habent; dolor aliquis transitorius in regione columnae vertebralis iis symptomata tabis dorsalis est; pruritus cutis scabiei praesentiam iis indicat. Dum ita transitoriis in corpore apparitionibus convenientes morbos illico assignant, iis, quae paulo diutius durare consueverunt adhuc majorem tribuunt attentionem. Catarrho bronchiali etiam leviori affecti, accedente imprimis aliqua pectoris oppressione, pulmones suppuratione consumptos jam jam esse nec dubitant; sputa ejecta solertissime investigant, et si vel minimum puri simile deprehendant, in desperationem incidunt; anrium tintinnum percipientes, apoplexiam instare metuunt adeo, ut nec somnum capere audeant, ne eo obruantur nunquam amplius evigilantes. Timidum et pusillanimem reddunt hypochondriaci animum ii praeprimis organismi morbi, ac via, quorum causae excitantes ignorantur, quae proinde per se quodammodo evolvuntur, ac origini eorumdem per evitationem momentorum causalium obex ponit non potest. Quodsi vero affectio quaedam morbosa corporis adsit, tunc eadem totam aegri attentionem ad se trahit, mentemque continuo occupat, prout id evincit longissima morbi historia, quam medico accessito magna eloquentia exponunt. Ita quoque judicant circa suum Psyche; si rem quainpiam non illico perspiciant, mentis hebetudinem, summam ignorantiam

inculpant; notiones, quas quondam sibi compararunt si pro necessitate menti non illico plene repraesententur memoriā fluxam, debilemque se habere contendunt; summe sibi diffidentes vix verbum, praecipuae in societate majore proferre audent, metu aliquid incongrue dicendi.

Ita circa proprium suum Ego occupati, et actiones suas dijudicare consveti, de aliis quoque hominibus simile judicium ferre conserverunt. Medicum de morbo consulturi, si historiam morbi per horas durantem cum summa attentione excipere non sit paratus, mox ignorantem declarant, et omnem confidentiam erga eum amittunt; sicut e contra maximis cumulant laudibus, dum a praescripto medicamine levamen percipiunt. Illi sunt, qui cito amicitiam contrahunt, sed et primi, qui illam ex levissimo interventu dissolvunt; prout circa semet ipsos varia singunt mala, ita etiam aliis hominibus talia adjudicant, unde non raro in iis meros offensores, inimicos vident. Ita J o s. Frank asserit de his aegris: „haud raro hypochondriacus universum genus humānum, proprio excepto individuo, perversum, ac sibi infensum existimat, hoc individuum solum curans, reliquumque orbem terrarum negligens” etc.

### A E T I O L O G I A.

Plurima sunt momenta, quae dispositionem in hunc morbum provocant; haereditaria rara est, frequentissime adquisita. Evolvitur dispositio jam aetate tenera, ubi pueri praeter naturam ad studia compelluntur, per haec enim attentio eorum jam ad idealia magis convertitur; corpus quoque labores mentales ad quietem cogunt, aetati puerili sumine noxiā; ita ex una parte vitam vegetativam infirmando, ex alia animalem exaltando dupli energiā in sistema nervosum exhauriendum progreditur, quo facto necessario ejusdem sensibilitas pari passu morbose adauge-

tur; taliter etiam generatione adquisita debilitas nervosa momentum disponens largitur. Aliud momentum disponens perquam frequens est educatio ita dicta mollis, egoismo hypochondriaco perquam favens. Sequitur vita sedentaria, praecipue cum situ corporis tali, ut viscerum abdominalium pressio causetur, hinc inter opifices, quorum labores talem corporis exigunt situm, morbus est frequens. Huc digestio per quamcunque causam langvens reddit. Certa temperamenta etiam disponunt, ut: phlegmaticum, melancholicum. — Denique omnes causae, quae evolutioni melancholiae favent, hypochondriae etiam substratum dare valent.

Quod vero attinet causas excitantes, primo notare convenit, quod ipsa momenta disponentia per actionem diurniorem in causas excitantes transeant. Excitatio phantasiae per lectionem librorum romanensium inter efficiacissimas causas merito refertur, et saepe totus morbus ex talibus solummodo constat phantasmatibus, praecipue hysterias. Animi motus frequentiores per odium, iram, amorem infelicem, etc. inducti huc quoque pertinent. Iten nimia humorum evacuatio, aut etiam evacuationum habitualium retentio. Vigiliae in noctem protractae; sed et somnus nimius. Excitatur non raro per mutationes notabiles sive in ipso organismo, sive in circumstantiis aegrum quoquo modo concernentibus, huc praeprius mutatio rationis vivendi laboriosae in otiosam. Studia intense tractata, ad certum objectum restricta, aut contra voluntatem eisdem operam navando. Singularia porro desideria, ut: suminam in omnibus accuratiam, suminam in omnibus perfectionem attingere cupiendo, quibus fit, ut continuo plura atque majora interveniant impedimenta aegri animum deprimentia, aliud agendi modum, aliam vitae rationem exigentia, ac ea valetudini favens est. Remanet saepe hy-

pochondria a morbis praegressis, ut: post febrim nervosam, febrim intermittentem, et alios. Inducitur per morbos cordis, per infarctus, praecipue venae portae. Provocatur etiam antagonistice item metastatice per morbos cutis retropulsos, per subitaneam ulcerum chronicorum excitationem. Non minus excitatur per alimenta digestioni multum resistentia; per potulenta stimulantia, calida, quae nempe inertiam, laxitatemque organorum abdominalium causant. Ipsa ratio vivendi saepe talis est, ut plurima pro hypochondriasi momenta includat, imprimis ea Eruditorum. Denique praeter vivendi modum omnia huc referenda sunt, quae hominem ita constituunt, ut idealibus, contemplativis frequentius, et lubentius inhaereat, quam vero realibus.

### C A U S A P R O X I M A .

Praevie convenit notare divisionem ab Auctoribus receptam, in: hypochondriam cum materia, et sine ea; cum materia est, ubi praeter communia hypochondriæ symptomata adest status morbosus aliarum organismi partium in nexu causalی cum hypochondria existentium, seu est tunc in morbus symptomaticus; sine materia vero erit, si nullum aliud vitium detegatur, aut si etiam quoddam adsit, tantum coëxistit sine omni influxu. Auctores plurimi morbum ad nevroses relegant, eo ipso annuunt in affectione systematis nervosi causam proximam residere; nihilominus si singularum virorum in arte versatissimorum opiniones perlustrentur, dissensiones adhuc magnae comparent, et certi quidquam huicdum nihil erui potest. — Hippocrates quaesivit causam proximam in bile atra; Sydenham in irregularitate spirituum animalium; Boërhaave detexit materiam tenacem quamdam, ventriculm, lienem, et reliquas par-

tes adjacentes investientem; Reil pro causa proxima habet coenesthesia morbose adfectum, ortam ex nimia cerebri omniumque nervorum praecipue abdominalium sensibilitate, quae aegro statim corporis deteriorem ac reipsa sit indicat; Storr tribuit causam interperiee cerebri, per quam sensationes, representationes et conceptus aegri a realitate deflectunt; Neumann adscusat affectionem vitae vegetativae, quae in morbum facultatis representationis transit, si perversa sensibilitas aegrum judicium erroneum ferre cogat; dum vero hypochondria est sine materia, tunc cerebrum praecipue affectum esse dicit; Falret fere semper cerebrum primarie affectum esse contendit; J. P. Frank diurnam et variabilem organisationis affectionem praecipue systematis coeliaci et viscerum abdominalium pro causa assumit; Bene sistema gangliosum, praecipue nervum intercostalem affectum adstruit; Raimann causam tribuit affectioni jam systematis cerebralis, jam nervosi vegetativi. — Jam si laudatas Auctorum opiniones circa causam hypochondriae proximam conseramus, eas apud Antiquos plurimum discrepare observabimus, apud Recentiores vero jam plurimum convenire et quidem in eo, quod systema nervosum primarie affectum esse doceant; in quo tamen peculiaris haec affectio consistat, demonstratum necdum est. — Divisio morbi in eum cum materia et sine ea, jam duplcem admittit formam, et ubi cum materia incedit hypochondria, seu ubi symptomatica est, causa proxima necessario erit ipsa illa pars affecta, cuius symptoma constituit; sed quid causam proxinam constituit hypochondriae idiopathicae, sine materia? — Si symptoma, causas, prognosim atque therapiam hypochondriae idiopathicae paulo attentius perpendamus, edocebitur in ultima hac morbi forma facultatem imaginandi peculiariter incitataam esse; secus concipere haud valemus, quomodo

illusiones viros non raro doctissimos (inter quos morbus frequentissimus) invadere possint; non tamen sola facultas imaginandi incitata morbum ponit, nam tunc omnis poëta, omnis orator hypochondriacus esse deberet, sed requiritur ut aeger phantasiis per facultatem imaginandi creatis fidem tribuat, earum possibilitatem ad suinam probabilitatem reducat, attentionem ac mentem ad easdem continuo convertat, eo ipso realibus parcus indulget; sed non tantum occupatio mentis cum idealibus hypochondriam excitat, verum etiam cum realibus, si justos transgrediatur limites; exemplum praebet attentio aegri in statum proprium continuo directa. Ex nunc dictis sequitur in hypochondria idiopathica nec systema nervosum peculiariter affectum esse, sed tantum facultatem imaginandi abnormiter incitam; atque hanc ultimam, constituere morbi proximam causam. Jam si in causam causae etiam inquiramus, tunc sequens hypochondriæ definitio locum habebit: hypochondria est alienatio facultatis imaginandi, orta ex nimia atque superflua attentione praecipue in statum proprium directa, cum peculiari submissione animae in quavis sensationes, ac phantasiae illusiones. Haec definitio etsi ex omni parte non satisfaciat, tamen ex ea multo facilius, et respectu therapiae longe utilius hypochondriæ naturam perspiciemus, quam si causam morbi ad systematis nervosi affectionem relegaverimus, quin sensibus aut ratione hanc ipsam affectionem hucdum cognoscamus. Objici hic merito potest, quomodo attentio magna illusiones aegro supeditare potest, cum tamen ipsa sit primum atque principale momentum ad veritatem eruendam? Etsi a priori nihil sit, quo hanc objectionem repugnemus; experientia tamen plurima supeditat rei veritatem demonstrantia; cui utique in arte nostra plurima fides debetur. Ut vero pateat quo jure haec nimia attentio, atque exhumiliatio animae in quavis

sensationes facultatem imaginandi incitare, pervertere possit, siveque hypochondriam producere, necesse est morbi symptomata, ac ejus oriendi modum pervestigare.

### • ORIGO HYPOCHONDRIAE.

Constat ex principiis pathologicis ad cujusvis morbi genesis duplex concurrere momentum: disponens nimirum et excitans, atque horum certam ad invicem relationem; ex his factoribus in unum congressis ponitur morbus. Jam ut morbum cognoscamus, ejus symptomata tam objectiva, quam subjectiva, item causas colligimus, combinamus, siveque causam proximam, seu quod idem est, ipsam morbi naturam eruimus. Si hypochondriae symptomata vel obiter percurramus, primo eorum variabilitatem atque inconstantiam non adveitare non possumus, immo debemus, cum adeo eminentem morbi characterem largiantur. Hypochondriacus jam tristatur, jam excessive hilaris atque jucundus est. Procul dubio haec ex eodem fonte ac apud hominem sanum proflunt, nimirum ex representatione ac attentione in bonum aut malum directa. Quod saepissime absque manifesta causa talia phoenomena apud hypochondriacum conspiciamus, sufficienter eo ipso comprobant, lusum phantasiae in aegro principalem partem tenere. Quanta phantasia possit, ex somniis concludere valemus, quae nobis absque impressionibus a sensibus externis factis saepe tantas in organismo provocat reactiones, ut dum evigilamus cor adhuc palpitet, anxietas, oppressio pectoris nos detueat. Ex hoc respectu non immerito hypochondria somnus vigilantis dicitur. Attentio nimia et protracta phantasiam quam maxime excitat, et tandem pervertit.

Eruditi hoc modo in hypochondriam incidunt, et praecipue ii, qui scientiis transcendentalibus operam impen-

dunt, dum enim continuo talibus mentem occupant, sons cognitionis realis ex sensibus et ratione profluens sensim exhaudit, quo facto nisi scrutationi finis ponatur, imaginationis producta in auxilium vocare opus est, quae hominem eo deducunt, ut inmundum realem deserens, soli ideali inhaeret; in quo ut eo liberius versari possit, soliditudinem quaerit. Sic ad idealem inundum perveniens initio plurima adhuc inveniet, quae eundem grata afficere valebunt; tardius et hic pertaesus, redibit in nostrum orbem, sed oblitus interim qualiter hic cuncta procedant, homines pro iuicis, deceptoribus, malevolis habebit, calorem cum frigore et vice versa commutabit, oscitacionem pro agone, pandiculationem pro tetano, ossa pro vitris declarabit; sicque continua obnoxius periculis, interinetum, anxietatem vitam continuabit miseram; et totam, quam sub hypochondria comprehendimus imaginem ob oculos lucidissime ponet. Sed non tantum per idealia, verum etiam realia phantasia excitata pervertitur, si totam quantum attentionem nostram in se rapiant. Exemplo sit ira vehementis, metus validus, et similia; luctuissime vero id demonstrat nostalgia. Per nimiam atque superfluam attentionem oritur hypochondria ex plurimis aliis etiam momentis. Dispositio mala (die Laune) iam propensionem in hypochondriam notat, quae si saepius recurrat, in taedium transit, ex quo iam multa morbi phenomena prodibunt. Evolvitur morbus tantum post pubertatem, nam tunc vel maxime phantasia imaginatioque procrescunt, et quae per aetatem puerilem data sunt educatio, nunc in effectum ibit, fantasias juvenis huc vel illuc dirigendo. — Symptoma perquam essentiale hypochondriæ est: quod aeger tantum die ad finem vergente vegetare incipiat, mane vero totus quantus a morbo prehendatur. Cum enim morbus sit psychicus, necessario mane in sua essentia comparere de-

bet, mens sana quoque tunc optime valet ad sua officia; itaque, sicut homo bene valens post peractum somnum vegetus, hilaris denuo evigilat in novum diem realem: ita et hypochondriacus, sed contrarie comparebit, cum mente nimirum per imaginationes obscurata, moroso propter incontentioneum cum animo, confusus per phantasias ad negotia ineptus; donec circa vesperam aequilibrio inter corpus et animam sensim restituto, et lusu phantasiae parumper restricto ad naturam iterum humanam accedat; neque tamen in hac permanebit, sed nocte iterum ingruente ut bono imaginationis conductore officia sua idealistica prosequetur, vires suas huc impendens, digestionem impedit; sicque occasione noctis dum vires congregare debuisset, easdem cum inutilibus distrahit. —

Aliud symptoma characteristicum hypochondriæ est: digestio laesa, item functio sexualis abnormis. Si labores animae intensi ac protracti corpus pessimum dare valent, tunc et corpus male constitutum operationes mentis alienabit. Dum mentem sanam in corpore sano possidemus, sanitatem relativa optima gaudemus; alterutro vero infirmato, alterum saventibus circumstantiis constare poterit, sed vita jam minus perfecta erit. Posita hac sanitatis conditione accedamus jam hypochondriaci valetudinem; et primo digestionem laesam conspiciemus, secundo ut diximus functionem sexualem turbatam; adeoque duo illa momenta apud hypochondriacum sunt abnormia, quae totius vitae essentiam comprehendunt, quae hominem arctissimo vinculo ad mundum realem ligant, quae vix non maximas viventium constituunt delicias quorumque exigentias ut satisfiat, millions hominum unice, et incessanter vitae operam impendunt, hi inquam duo vitae terrestris Repraesentantes in hypochondriaco langvent, infirmantur; qualis hinc quaeso ejus erit vita? quis animi status? non alia nec alter ac in

aegro videmus. In nostro hic mundo, parum aut plane nihil quod agat habeus, necessario ad idealem transibit, ibi sua pertractaturus, cum qua ens vivens tamen aliquid agere debeat. Videmus hinc, quomodo digestio et potentia sexualis laesa hominem hypochondriaco similem constitutere valeat. Sed etiam digestione ac functione sexuali normaliter procedentibus, animus confundi potest per numerosas illas, quae in vita occurrunt miserias, si iisdem semet jugiter subjiciat; sicut e contra circumstantiae etiam prosperrimae (ut exempla docent) hominem incontentum reddunt, ex proverbio: omne nimium est vitium. Ex hoc nimio oinnes oriuntur melancholiae, quae non aliud ac altiores hypochondriae sunt gradus.

Quae reliqua offert hypochondriacus symptomata etiam talia sunt, ut phantasiae continua exagitationem coram sistant. Subjectio animae in quasvis sensationes plura iterum phoeuonena morbi largitur. Morositas, tristitia, metus, pusillanimitas, et quae similia aeger offert inde procedunt. Iterum apta cum somno comparatio; etenim sicut dormiens sonniis obiutus, quae illi tunc occurrunt anima et animo prehendit, in eadem agit atque reagit, saepissime iniro quodam modo semet iisdem subjicit, et offert: ita etiam hypochondriacus, prout ejus phantasiae et sensuum atque imaginationis illusiones optant, jam tristatur, jam excessive gaudet, jam timidus, jam intrepidus procedit; utique sine conspicua causa externa. —

Perquisitis ita principalibus hypochondriae symptomatis, reflectendo ad causas ejusdem excitantes superius adistas, tentamen genesis morbi jam instituere oportet. Homo natus in mundum mente adhuc invalidus, tantum quae corpori favent ex connato instinctu appetere novit; succrescens sensim sensimque ratio alia et alia desiderando prosequitur; accedit tardius instinctus sexualis; sed com-

paret simul phantasia, aut saltem ejus incitatio; huc homo  
 deveniens organismu suo jam vix non maximum attigit evo-  
 lutionis gradum; anima vero nunc operationes suas intensive  
 et extensive evolvere incipit, et easdem diriget juxta  
 exigentias per statum sui organismi et educationem conditionatas. Si jam hic status organismi et educatio genera-  
 liter sumpta ita constituta fuerint, ut omnes appetentiae  
 et aversationes indolem naturalem, id est realem consequan-  
 tur, tunc sanitas mentis (abstractis injuriis a corpore inse-  
 rendis) relative optima erit; juxta definitionem sanitatis,  
 quam dat Troxler: Gesundheit ist die vollkommenste  
 Entwicklung der Möglichkeit des Lebens in der Wirk-  
 lichkeit. Si vero operationes animae seu relative, sive ab-  
 solute adiunctae fuerint, tunc facultas ita dicta imaginandi,  
 qua principalis actus operationum animae, praeter tenden-  
 tiam naturalem, etiam idealem seu contemplativam animae  
 coram sistet, ex hac contemplatione aliae semper atque  
 novae evolventur Ideae, animam et animum magis magis  
 que pedetentim ad se iacentes; mente ita per idealia oc-  
 cupata, ex parte altera quae realia sunt aut sensim dispa-  
 rebunt, aut cum idealibus confundentur propterea, quod  
 ob limitatam mentem non omnia, quae imaginatio sugge-  
 rit ad trutinam realem seu legem rationis revocari possint;  
 ut ergo in tali confusione anima suas operationes prosequi  
 possit, cum per rationem veritatem eruere non valeat,  
 fidem etiam sensibus et phantasiae tribuere debebit, ut eo  
 ampliorem et uberiorem fontem nasciscatur ad idealia per-  
 scrutanda; sicque ex sincero veritatis fonte ad obscurum  
 transbit. Jam sicut qui rationi obtemperat homo, omnes  
 etiam suas actiones eidem conformes ponit: ita, qui se-  
 met sensationibus et phantasiae lusibus committit, phantasti-  
 cis quoque actionibus occasionein praebet. In his phan-  
 tasiis homo initio non minorem, ac in aetate puerili ex

realibus, quae sensibus semet offerunt invenit delectationem, sensim tamen, quod (ut proxime dictum) plura atque continuo majora facultas imaginandi suggestat mente non penetranda ipsa illa delectatio transibit in incontentione, moerorem, tristitiam; et cum ex frequentiori qualunque demum occupatione sensim oriatur consuetudo, ex consuetudine natura, ex natura necessitas; homo etiam, qui lusui imaginationis semet obtulit, ultimo necessitatur eisdem animam et animum subjicere; et sic devenit in eum statum, quem hypochondriam nominamus. Hoc modo evolvitur hypochondria idiopathica. Ex hoc evolutionis modo jam facile est deducere, quomodo hypochondria symptomatica (cum materia) oriatur. Novimus in hac ultima statum organisini in aliqua sua parte abnormem esse, imprimis digestionem, et functionem sexualem; hae duae ligae, quibus maxime ad mundum realem adstricti sumus, si laesae sint, necessario nobis campum aperiunt ad munendum contemplativum transeundi, et sic iterum phantasiam idealibus exercendi. —

### P R O G N O S I S.

Cum morbus hypochondriacus sistat vitium consuetudinis per frequentiorem phantasiae occupationem inductum, facile patet per se morbum haud esse periculosum; sed eo magis et aegro et medico nauseosum; ac imprimis ultimo respectu curae molestum, et arduum; nihil enim difficilius ac consuetudinem hominis seu naturam transformare. Morbus in primordiis constitutus spem sanationis eo maiorem admittit, quo frequentiores et maiores ejusdem sunt intermissiones. Quo autem diutius duraverit, eo etiam spes sanationis decrescit; nam tunc imaginatio aegri continuo magis incitatur, pervertitur; aeger ex multitudine idealium, quas illi phantasia subministrat, certas statui cor-

poris et animi faventes eligit, has mente continuo volvit et revolvit, donec in morbum animae topicum transeant, et sic hypochondria in melancholiam transformetur. Patet hinc hypochondriam esse fundamentum et chaos melancholiarum. Sed etiam ex parte somatica sensim turbae evolventur; nam incitato per continuam phantasiae actionem cerebro, sistema vegetativum antagonistice deprimitur, debilitatur; ex hac debilitate digestio prima erit, quae participabit; ex digestione debilitata necessario emaciatio corporis, hydrops etc. sequentur. Accedit, quod systemate nervoso debilitato, pari passu ejusdem sensibilitas morbose increscat; hinc etiam receptivitas erga stimulos adaugetur; aeger in statum corporis sui ceteroquin anxie attentus ut molestas in stimulos reactiones evitet, iisdem semet continuo magis subducere cogetur, debilitas directa increscit, et sic in phantasias de suo organismo, quas utique ex mala parte sovet confirmabitur. In genere circa hypochondriacae prognosim attendendum est, an aeger jam eo devenierit, ut certas ideas figere inchoet, quod si fiat, tunc a circumstantiis in quibus aeger vivit probabilitas morbi tollendi dependet, quae si eae fuerint, ut aegri ideis respondeant, et non facile mutari possint, spes exigua de sanitate remanet restituenda.

### THERAPIA.

Cura hypochondriacae duplex est, prout nempe symptomatica, aut idiopathica fuerit. In symptomatica (cum materia) affectio partium organismi juxta praecepta therapeutica tractanda erit. In genere hic notandum venit, affectiones, quae cum hypochondria incedunt, et inter quas ea digestionis eminet indolis esse potissimum asthenicae, hinc etiam generatim methodum roborantem, restaurantem indicari tam remediis pharmaceuticis, quam diaeteticis absolvendam.

Quamdiu hypochondria symptomata constituerit, sublato morbo primario ipsa etiam necessario disparere debet; ast si jam diutius duraverit, evolvetur in morbum per se jam subsistentem, tuncque curam eandem exposet ac hypochondria idiopathica; jam quae tractatio hujus ultimae necessaria sit, breviter in sequentibus exponere conatus sum.

Si Therapiam Auctorum circa hypochondriam volvamus, convincemur primam curae partem consistere in aegri confidentia, hanc ergo medicus primo lucrari debet; haec quidem confidentia aegri in omni morbi cura necessaria est. praeципue morborum psychicorum; nihilominus cum in cura hypochondriacae adeo specialiter desideretur, indicare eo ipso videtur, omnem aegri hypochondriacum, omnesque ejus actiones stigma affectuosaे sui aestimationis inustum gerere; jam qualiter hominis hujusmodi confidentiam lucrari possimus, verbis haud exponi potest, sed quivis ex circumstantiis optimam pro hoc scopo assequendo methodum exquirere debet. Multum tamen interest scire in hoc puncto difficulti ita procedendum esse, ne aeger initio curae a medico in suis imaginationibus, phantasiisque quodammodo turbetur, omnia ergo quae refert aeger de statu suo morboso ceteroquin copiosissima, et saepe evidenter falsa medicus mente attenta, animoque paccato excipere debet; in nulla re illi contradicere; quas refert querelas lamentabiles ita animo suspicere oportet, ut aeger convincatur, quod medicus illi condoleat, compatiatur, praeprinmis autem inter querelas aegri singulares medicus sibi attendere debet, ne risum moveat, nam tunc de lucranda confidentia actum est; in genere medicus animum aegri summe offensibilem continuo pree oculis habere debet, et semet ita conformare, ac si totus ab eo dependeret.

Adquisita hac ratione aegri confidentia, tota insequens cura eo recedit. ut aeger a suis imaginationibus, phanta-

siae illusionibus revocetur, quod aliter non siet, ac ejusdem attentionem ad realia ligando. Hoc scopo plurima ab Auctoribus commendantur, in quae si disquiramus, omnia inveniemus ita comparata, ut vitae jucunditatem aegro imprimant. Talia sunt: peregrinationes ad loca amoe- na; lusus diversi jucundi imprimis qui moderatum corporis motum exposcunt; diversae excursiones: botanicae, mineralogiae, venatio; conversatio et societas hominum jucundorum; colloquia jocosa, nunquam tamen aegrum offendentia; lectio librorum risum excitantium, et plura similia, quae per aegri circumstantias optime de- terminantur. Si hypochondria nequid inveterata fuerit, per similia longiori tempore adhibita cura radicalis assequetur; de recediva tamen aeger nunquam securus erit, nisi prophylacticum habuerit, est autem illud pure psychicum in ipso aegro reconditum, consistens in firma voluntate ejus atque stabili proposito mentem idealibus ultra modum nunquam affligeudi, nec animi passionibus, phantasiaeque illusionibus nimiopere indulgendi, obediendi. Si vero aeger certas jam ideas mente figere inhoet, praelaudata remedia vix aliquem habebunt effectum; animi hilaritatem ubi inter alios constitutus fuerit homines coram exhibere quidem ae- ger conabitur, ast sibi relictus morem antiquum reassumet. Ut ergo in solitudine etiam a morbi invasione liber maneat, quam maxime inculcandum illi erit, ne attentionem ad idealia convertat, ne nimis scrupulosus in quavis re sit; insuper, ut aeger ipse perspiciat, quomodo mens ejus eva- getur, necessarium est, ut diarium ducat, in quod omnes cogitationes suas fideliter inserat; hac ratione dupli- modo in morbum devincendum operabitur, primo namque dum phantasiae producta ad chartam deponit, idem fere fa- cit, ac si eadem alteri viva voce communicaret, eo ipso methodo optima eadem realisat; secundo dum tali modo

imaginationes suas describit, facilius pervidebit ipse, quam inania, superflua, ridiculosa, minime probabilia, immo impossibilia mente saepe revolvat, quomodo inutiliter se net affligat, vires suas exhauriat, corpus annihilet; hac ratione reprobationem sibi ipse sensim dabit quam ab alio nullatenus patitur. Aeger imprimis cogitationes, quae post captum somnum, matutino itaque tempore menti ejus obversantur, diligenter adnotet, hoc tempore enim hypochondria tota quanta reddit; ipe medicus tunc observationes suas instituat, ut in morbo diutius jam persistente cognoscat, cujus indolis sint imaginationes, quo tendant ideae aegri, hoc modo convenienter therapiam adornare optimo valebit.

Pauca haec, quae circa therapiam hypochondriae idiopathicae dicta sunt, etiam ad eam cum materia applicari debent, simul tamen et ipsae affectiones organismi prae-primis quae digestionem concernunt, et in genere, quae in nexu causali cum hypochondria existunt, modo convenienti tractandae erunt. Juvabit, ut aeger a consuetudine hypochondriaca eo securius recedat ei pro norma hominis sani vivendi rationem (si normalis, naturalis fuerit) assignare, tali enim exemplo vivo longe potentius, ac quibuscumque adhortationibus ad imitandum induetur. Amicos omnesque in quorum consortio vivit, atquae suam confidentiam largitur, oportet instruere, ut inansvete eundem tractent, offensionis occasione omnimode evitent; sic fieri poterit, ut in realibus sensim sensimqne majorem complacentiam inveniat, et pari passu a superfluis imaginationibus pedeterrim mente recedat.

## T h e s s.

---

1. Existunt morbi pure psychici;
  2. Et qua tales sunt omnes adquisiti.
  3. Sicut contagium ita et miasma est productum morbosum.
  4. Causa ultima hypochondriae est perverse incitata facultas imaginandi.
  5. Hysteria ab hypochondriasi non differt.
  6. Obscurations corneae semper sunt effectus praegressae inflammationis.
  7. Motus foetus in utero materno infallibile est signum tam ejusdem vitae quam graviditatis verae.
  8. Ipsa vita medicinae utilitatem et necessitatem demonstrat.
  9. Infarctus viscerum utplurimum effectus sunt morborum.
  10. Febris nihil aliud est quam reactio vis vitalis in mutationem morbosam; hinc:
  11. Omnis febris est symptomatica.
  12. Prognosis morbi respectu terminationis in sanitatem nunquam certa esse potest.
-